

1509 Venetis undecim, quos in ipso negotio circunventus in vincula conjecerant; & interdicto non resciſſo. Ea Julii fides, ea pietas in supplices fuit, atque omnino in illos eosdem, qui paulo antea Romæ, ut is Pontifex Maximus fieret, omnes suas opes, omnem auctoritatem, gratiam, studia publice contulissent. Non absimili injuria Alfonsus Ferrariensis dux Rhodigianos apud Padum flumen positos, quod oppidum bello Ferrariensi Veneti ceperant, atque ex pacis fœdere postea tenuerant, parva manu eo adducta in deditio[n]em recepit. qua intellecta re, Antonio Bragadeno prætori, qui se in oppidi arcem intulerat, Patres per literas mandaverunt, ut tormentis abductis arcem duoque reliqua ejus regionis municipia Alfonso restitueret. sed is, antequam eæ ad eum literæ perferrentur, captus ab hostibus una cum arce, Ferrariamque perductus, paucis post mensibus in custodia interiit. Itemque ad Sebastianum Maurum, qui cum decem & septem navibus in Athesim missus fuerat, literæ sunt a Senatu datæ, ut in tutum se reciperet. is cum ab agricultoribus in redditu ab utraque ripa omni telorum genere premeretur, ac propter siccitates contractiore aqua minus se subducere celeriter posset, ejectis aliquot in flumen tormentis gravioribus, incitatisque remigibus Bebiam rediit.

Pischieria a.  
Gallis ca-  
pitur  
III. kal.  
jun.

At in superiore Padi fluminis ripa Cremonenses Gallis equitibus & militibus in oppidum admissis se se regi tradiderunt: eoque biduo nuncius ad Senatum venit, Pischieriam municipium rege oppugnante captum: milites oppidanosque ad unum cæsos: Andream Ripam arcis præfectum reste ad arborem exanimatum fuisse. Ea re audita Zacharias Lauredanus in Benaco præfetus, simul quod omnia ejus lacus municipia partim ad regem, partim ad Maximilianum deficiebant, trireme & bireme, quibus præferat, incensis, una cum suis omnibus hostibus adventantibus se subripuit. Patres ob hæc perspecta difficultate quidquam in Gallia atque in Rhetis oppidorum retinendi, legatis mandarunt, ut in agrum Patavinum exercitum reducerent: Veronensibusque permiserunt, si Maximilia-

nus